

## **Cartulaire de Marmoutier pour le Vendômois, Nr. 55**

Pateat successoribus nostris habitatoribus scilicet Maioris huius Monasterii Sancti Martini post nos futuris, terram quam Lisioius Iuisia nobis apud Semitarium vendiderat, Hamelino de Lengiacis, a quo eam in fevum habebat, auctorizante, Hugonem fratrem Hamelini nobis calumniatum fuisse, dicendo scilicet quod cum fratribus sui auctoramentum super terra illa habenda multis redemissemus nummis, suum ne requisitum quidem fuisse a nobis. Unde, cum iam nos depredatus fuisse, invitavimus eum ad concordiam paci et quieti ex more consulentes. Venit itaque in capitulum nostrum, acceptoque a nobis societatis nostre benefacto et IIII or denariorum libris, quicquid frater suus nobis auctorizaverat gratauerit et ipse per fisticulum quandam domno abbati Bartholomeo, dans illum in manu, auctorizavit. Deinde super altare ecclesie nostre eundem posuit fisticulum. Testibus istis: Seranno milite – Gausfredo de Salmuro – Witberto calvo – Gausfredo homine Rotberto Bodardi – Hugone homine Seranni – Frotmundo, qui recepit denarios – Sigemaro cellarario – Rotberto cellarario – Alberto pistore – Otgerio carpentario – Vaslino de Tavenno – Hildemaro flevotomatore – Durando de Parciaco – Herveo Francisco – Archembaldo pistore. Eodem vero anno, tertius eorum frater, nomine Gualterius, in capitulum nostrum veniens, guerpivit eandem calumniam, cui dedimus XX solidos. Testibus istis: David mercatore – Ernaldo clerico – Giraldo coquo – Odono coquo – Bernardo coquo – Rotgerio sartore. Data mense maio, anno ab incarnatione Domini MLXV, presidente nobis domno abbe Bartholomeo.